

internodio suo breviores, interdum ramulo eodem modo florifero concomitatos edentibus. Omnes hi rami fastigio plantae breviores, longiores in medio circiter caule. Folia nullo modo scabra, ex basi partis eorum angustioris quacum cauli insident, utrinque linea elevata initio aliquantulum pubescens in caule decurrit, hinc teretiusculus dicitur. Margo brevis inter foliorum oppositorum basin evidentius est puberulus.

**Helminthia lusitanica** Welw. ex horto Parisiensi, *H. humifusa* horti Friburgensis et Turicensis, nec non *H. echioides* horti Friburgensis nullo modo inter se dissentiunt, nec ab *H. echioide*, planta per Europam australem vulgari, interdum et in nostros agros germanicos irrepente, nullo modo distingui possunt. Vera *H. humifusa* est alia planta. Coluimus autem *H. echioidem* ex horto Gandavensi acceptam, quae cum illis in eadem area horti crescens primo visu ab illis differre videbatur: caule ex purpureo colorato et cum foliis involueroque pilis multo rigidioribus exasperato, pilis foliorum quoque bullulae convexae insidentibus, involucri exterioris foliolis non solum, quam in illis, sed quoque interioribus suis minoribus. Quae vero differentiae haud magni momenti; bullulae enim cum pilis rigidioribus et in illarum foliis infimis rariores quidem nec in omnibus adsunt, setarum indoles eadem, involucri utriusque forma eadem et utriusque ratio haud semper eadem, hinc concludere licet, nulla alia nota differentiali succurrente, formas unius ejusdemque speciei esse, quod ulteriore cultura probandum est.

**Heliopsis canescens** HBKth.

Praeterlapsa aestate plantam, prius in olla cultam sub dio multo laetius vigentem, et in serum usque autumnum uberrime florentem habuimus, perfectiorem igitur et exuberantem quasi cum Kunthii descriptione l. c. data melius comparare licuit,